

12677

D. F.

41.

Illustres hasce Quæstiones,

Ex IV. postremis

1616, 2.

Pandect. libris desumptas:

28

PRÆSIDE

DN. CHRISTOPHORO

BESOLDO IC.

¶

in Academia Tubingensi

ANTECESSORE,

Præceptore suo plurimum co-
lendo;

Prid. Non. Maij ventilandas exhibebit

Christophorus Forstner

Austrius.



TUBINGÆ,

Typis Johannis Alexandri Cellii.

ANNO M. DC. XVI.

14

AUSTRIAE SUPERIORIS

Ordinum

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

ACADEMIAE

VIENNAE

1717





DISPUTATIO AD

IV. POSTREMOS

ff. Libros.

THESIS I.

Furti tenetur, cujus ope-consilio illud perpetratum est. §. interdum
 quoque. 11. Inst. de Oblig. quæ ex del. nasc. Neque dubito, quin hæc ver- *Lib. 47. tit. 2.*
 ba separatim sint accipienda. l. sepè. 53. §. 1. ibiq. Gædd. de Verb. Sign. l. si *d. Furti.*
 quis uxori. 52. §. neque 19. l. si pignore. §. 4 ff. de furt. l. 20. C. eod. Dn. Præceptor
 D. Harpprecht. ad §. 11. Inst. de Oblig. quæ ex del. nasc. Arumæ. Disput. ad
 leges præcip. 24. thes. 3. Si tamen ex consilio & suasionem alterius, furtum-
 factum non sit, suasorem non teneri dicimus. d. l. 52. §. 19. ff. de furt. Dis-
 sent. Pac. Cent. 4. ἐναυτιοφ. quæst. 24.

2. Cùm de legibus tantùm ferendis disputandum, latis verò
 obtemperandum sit: non immeritò mirari quis posset, disquiri etiam-
 num hodiè, pœna strangulationis an justè furto imposita sit? Et sunt
 sanè multi, qui nimis atrocem eam pœnam esse putant: ac inter eos scri-
 sit quidã, jura nunquàm in eam exarsisse rabiem, ut corporali pœnâ fu-
 res afficiendos censuerint, eamque pœnam à Justitiæ fundamento ab-
 esse quàm longissimè. At justam esse, necessariam, & æquitati confor-
 mem hanc pœnam, latè & piè demonstrant Dn. D. Harppr. ad §. pœna. 5.
 num. 8. & seqq. Instit. de oblig. quæ ex del. nasc. Johan. Baptista Bajard. in addit. ad
 Jul. Clar. §. furtum. num. 57. Manebit sanè & perpetuò stabit axioma il-
 lud, quòd crescentibus delictis exasperandæ sint pœnæ. Cùm enim ad-
 huc hodiè tanta sit furum frequentia, ut iis coercendis nullæ cruces,
 nulla patibula, nulla tormenta sufficiant: quanta eorundem copia fu-
 tura esset, si pœna illa pecuniaria in usum revocaretur? Quinimò &
 apud Scythas, Justin. libr. 2. pag. mihi 25. Athenienses, Plutarch. in Solone.
 Thomas Dempster. antiq. Rom. lib. 9. Tartaros & Moschovitas, Indos item
 occidentales, Bodin. 6. de Rep. 6. Romanos etiam, P. Manut. de Legib. Rom.

2 *Disputatio ad 4. postremos ff. libros.*

p. 225. Ægyptios, *Genes. 40.* ipsos denique Judæos, *Ios. 7.* Capitali pœnâ fures plexi fuerunt. Cæterum, quia gravissima hæc est res, & sanguis humanus pretiosissimus, cautus esse iudex debet, ne nimia crudelitate utatur in animadvertendo; neque sanè propter primum furtum utcumque magnum, furem pensilem statim faciat. *Dn. Præses class. pol. 2. disput. 2. thes. 25. Jul. Clar. § furtum. num. 7.*

3. Debitor creditori suo pignus furto subducens, non excusatur, licet se offerat ad solutionem. *Iohan. Vaudus. 1. var. quest. 35.* Nihil enim actioni pœnali commune est cum rei persecutoria, nec hæc illam tollit. *l. rei communis. ff. pro socio.* Hinc rem surreptam si reddere velit fur, atque adeò si reddiderit, nihilomagus pœnali actione liberatur, sed re redditâ, æquè ac ante redditam furti obstrictus manet. *l. non prodest. ff. vi bon. rapt. l. quia manet. ff. de serv. corr.* Nec potest quis ex pœnitentiâ nocens esse definere. *l. quis sit fugitivus. in prin. de edil. edict. l. 1. §. si rem depositam. ff. de positi.*

Vi Bono Rapt.

4. *Mynfingerus ad §. 1. Instit. de vi bon. rapt.* contendit, raptorem, licet manifestus fur sit, *l. 80. §. cum raptor. ff. vi bon. rapt.* furti tamen manifesti pœnâ non teneri: quod & *Zafius ac Dd. ad §. ex maleficiis. Instit. de actionib.* probant. *Cujacius verò, 6. observ. 2. ait,* etsi edictum hoc prætorium inter rapinam manifestam & nec manifestam non distinguat, quoad pœnam edicto propositam; tamen respectu pœnæ dupli & quadrupli, quæ aliâs furti propria est, etiam differentiam esse inter rapinam manifestam & nec manifestam: ita quidem ut raptor nec manifestus dupli pœnâ, manifestus quadrupli afficiatur. *l. 1. ff. vi bon. rapt. l. 80. §. cum raptor. ff. de furt.* Et sanè absurdum esset, raptoris (qui improbius fur est) meliorem esse conditionem, quàm furis. *v. Arumæ. d. disp. 24. th. 9.*

De Injuriis.

5. Injuriarum condemnatum infamiâ notari, dubium non est. *l. 1. ff. de his qui not. infam.* Cæterum pugnant invicem *Dd.* an etiam ob levem vel modicam injuriam damnatum sequatur infamia? *Affirmat Jul. Clar. lib. 5. sent. §. injuria. num. 8. & ab hoc citatus Angel. in l. infamem. ff. de publ. jud. Soarez. in thesauro recept. sent. verb. injuriarum. num. 79. Andræ. Geil. 2. observ. 102. num. 1.* Negant verò *Prosper Farinac. libr. 3. prax. criminal. quæ. 105. inspect. 2. nu. 66. Johan. Baptista Bajard. in addit. ad Jul. Clarum. d. §. injuria. num. 51. Dn. D. Harppr. ad §. 10. Inst. de Injur.* Et hanc posteriorem sententiam confirmat *l. sed si unius. §. quædam. 3. ff. de injur. c. cum te. ext. de sentent. & re jud.* Nec enim æquitas patitur, pœnam delicto graviolem reo imponi.

6. Actio



Disputatio ad 4. postremos ff. libros. 3

6. Actio injuriarum anni unius lapsu extinguitur: l. 5. C. de injur. & hoc verum esse tantum in prætoria, non etiam legis Corneliæ actione tam verum est, quam quod verissimum. in prin. Instit. de perpet. & tempor. act. Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. injuria. nu. 9. & ibi Bajard. num. 51. quicquid contra disputet doctis. Busius in l. lex Cornelia. 5. ff. de injur. Actiones ex legibus descendentes perpetuæ sunt. Cur non ergo & actio injuriarum Cornelia? quid obstat? quæ diversitatis ratio? Nostram etiam sententiam Camera Imperialis judicata probant. Mynsing. Cent. 1. observ. 84.

7. An actio hæc injuriarum ex lege Corneliâ descendens, est publica accusatio? Nego cum Præceptore meo Dn. Harppr. in §. pœna. 7. num. 11. & seq. Instit. de injur. per text. expressum in l. licet. 42. §. 1. ff. de procur. Affirmant Cuiac. lib. 5. sentent. Pauli. tit. 4. §. mixto jure. Borcholt. in §. sed & lex Cornel. Instit. de injur.

8. Convicii veritas, conviciantem à condemnatione reddit immunem l. 18. ff. de injur. Sed hoc Dd. nostri ita limitant, si intersit Reipubl. crimen illud objectum detegi; ut si proditio, cædes & similia alicui obiciantur. Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. injuria. num. 15. P. Busius ad d. l. 18. ff. de injur. Verum Covarruv. lib. 1. var. resolut. cap. 1. nu. 6. nullam injuriam excusari tradit, nisi eo animo crimen objectum sit, ut manifestum fiat, non contumeliæ causâ; sicque cesset omnis injuriandi libido. Hanc Covarruvæ opinionem ego verissimam puto. Puniunt enim leges pruriginem & libidinem conviciandi; atqui hæc libido etiam est in eo, qui crimen obicit, quod detegi prodest. Nec patior mihi replicari, utilitatem, quæ in Rempub. ex hac injuriâ redundat, injuriantem pœnæ subtrahere. Idem enim est, ac si argumentarer: Judam non esse æternis cruciatibus dignum, cum per eius proditionem redemptio generis humani fuerit promota. Absurdum! à causis per accidens non valet consequentia.

9. Injuriarum agenti, obicere is nequit Retorsione actionem peremptam esse, qui Retorsionem pro non legitimâ agnoscit. v. Dn. Harpp. §. 12. Instit. de injur. n. 78. & multis seqq. contradictoria enim quod sint nemo non videt; Retorsionem esse nullam, & eam perimere actionem.

10. Divus Hadrianus rescripto pœnam statuit quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepeliunt. l. 3. §. Divus. hoc tit. Dubitari ergo possit, de consuetudine, quâ mortui non in urbibus tantum, sed in ipsis quoque templis sepeliuntur. Plurimum enim valetudini nocent, per halitus, qui ex cadaveribus mortuorum in urbibus & templis

De sepulchro
violato.

4 Disputatio ad 4. postremos ff. libros.

tantò copiosiores exhalant, quantò locus est conclusior, & ob hominum frequentiam tepidior: quos quidem halitus, præsertim ex eorum cadaveribus, qui peste extincti sunt evaporantes, venenatos ac contagiosos esse Medici testantur, & inter hos Lemn. *de occult. nat. mir. libr. 2. cap. 3. vide Francisc. Ripam. tract. de peste. cap. 4. Hospinian. de Templis. 3. cap. 1. Gilken. ad l. 2. in prin. C. de S. S. Eccles.*

De effractorib.

& expilat. vid.

infr. de custod.

reor.

Stellionatus.

11. Stellionatus iudicium famosum non est. *l. 2. h. c.* Ob stare videtur *l. quid ergò 13. ff. de his qui not. infam.* Ego distinguo inter causam, ex qua descendit Stellionatus crimen, famosam, & nec famosam: cum Duaren. *lib. 1. disputat. cap. 43. Cujac. 1. resp. Papin. p. 15. & 10. observ. 26. VVe- sembec. in parat. h. c. Hilliger. 18. cap. 17. lit. R. & novissimè Bachovio ad disput. Treutl. 8. thes. 6. ad fin.* Aliter hanc rem considerant Dn. Bocer. *dissert. singul. sub junctâ tractatui de crim. Majestat. Anton. Faber. 4. Conject. 2. & reliqui, qui referuntur sup. in disput. ad lib. 3. & 4. ff. thes. 5.*

Determ. moto.

12. Terminorum motores non pecuniariter puniuntur. *l. 1. hoc t. Refragari videtur. l. 3. in prin. eod.* Sed ibi non intentata fuit actio extraordinaria de tertio moto, sed alia publica ex lege Caij Cæsaris. *Pac. Centur. 7. & avno φ. quest. 59.*

Lib. ff. 48. tit. 1.

de publ. iudic.

13. Quænam publica, quæque privata delicta & iudicia sint, explicare in tantâ sententiarum diversitate haud est facile. Publica sunt, inquit Jul. Clar. *lib. 5. sentent. §. 1. in princ.* quorum accusatio cuilibet de populo permissa est. Clarum ibi reprehendit Bajard. *in suis addit. num. 1.* Non valet consequentia, inquit, quilibet de populo potest accusare de tali crimine. Ergò publicum est. Accusatio enim suspecti tutoris competit cuilibet de populo, & tamen iudicium illud non est publicum. Sic ergò ex *l. 1. ff. de publ. iud. rem cum Arumæo disp. 25. thes. 1.* & aliis definitio: Publicum delictum est, quod publicorum iudiciorum legibus comprehensum, ab unoquoque ex populo deferri & accusari potest.

De Accusat. & in script.

14. Accusatio homini Christiano est licita: *Ioan. 18. vers. 29.* ita tamen, ut illa pio zelo, & sceleratorum hominum, non privato odio, ad communem Reipub. quietem & tranquillitatem moveatur. *vide Decian. lib. 3. pract. crim. cap. 4.* Peccata enim nocentium nota esse, & oportet & expedit. *l. 18. in prin. ff. de injur.*

15. Mulier regulariter accusare nequit. *l. 1. l. 2. l. 3. ff. hoc tit.* Hinc oritur questio: Annon inter casus exceptos sit etiam homicidium mariti? hoc est, annon homicidam mariti accusare possit? & licet hoc, quantum

Disputatio ad 4. postremos ff. libros. §

quantum ego scio, nullâ lege expressum sit nominatim, non tamen dubito quin possit. Argumentum meum hoc est: Si mulier potest mortem propinquorum accusare, multo magis poterit mariti eadem in iudicium deferre. Manifesta consequentia! Atqui prius potest. *h. bita- men. 11. ff. de accusat.* Hanc conclusionem extendo etiam ad Sponsam: quia hæc in multis uxori æquiparatur. *l. 13. §. 3. ff. ad l. Iul. de adult. l. 5. C. de bon. quæ lib. quod & hic admittendum esse, ipsa æquitas suadet.*

16. Filiusfam. sine consensu patris potest accusare. *l. 6. §. 2. l. 37. ff. ad l. Iul. de adult. argum. l. 9. ff. de his qui sui vel al. jur. sunt. l. 14. ad Senatusconsultum Trebell. Iul. Clar. §. fin. q. 14. nu. 5. Prosper Farin. lib. 1. q. 12. nu. 10.*

17. Jure Civili, libero homini ad criminis vindictam pœna carceris perpetui infligi nequit. *l. mandatis. de pœnis.* Rationem subiicit Ulpian. *in l. aut. damnum. §. solent. ff. eod.* quod carcer ad continendos homines, non puniendos haberi debeat. Secus tamen est jure Canonico. *cut commisi. vers. & illorum. de hæret. in 6. & c. quamvis. de pœnis. in 6. Andr. Gail. 2. observ. 26. num. 7. & lib. 1. de pac. publ. cap. 1. nam. 23. Dn. Schvvarzen- thal. lib. 3. process. cap. 13. Damhoud. in prax. rer. crim. cap. 16. nu. 3. & seq.*

De Custod. & exhib. reor.

18. Carcerum effractores licet innocentes reperiantur, puniendi sunt. *l. in eos. 13. hoc tit. l. 1. ff. de effractorib.* Inique tamen captus, & in carceribus detentus, si aliter injustam condemnationem, quam probabilibus ductus conjecturis (ex falsis forsan testibus, vel ex pravo & corrupto iudicis animo) sibi imminere timet, evadere nequeat, custodes dolo & stratagemate absque ullâ peccati labe, quantumvis ex ipsius fuga eis damnum immineat, fallere, & datâ occasione vel carcerem frangere, vel vincula rumpere, atque ita effugere potest. *latè Cararruv. 1. var. resol. 2. nu. 7. Decian. lib. 2. pr. crim. cap. 13. nu. 4.*

19. Canonistæ plenis declamitant buccis, Papam cœlestis & terrestris regni caput esse. *Alex. Carer. de potest. Pontif. lib. 2. cap. 3. num. 5.* Ipsa ærei, inquit Lips. in sua Diva Hallensi, terreni, inferi Spiritus sive Genii, verentur ac trepidant, cœlestem illam in terris potestatem vel inviti & reluctantes agnoscunt. Hinc etiam in illum crimen Majestatis à Sacratiss. Imperatore nostro committi asserunt Gygas. *tract. de crimine Majestat. lib. 1. rub. qualiter & à quib. crimen læsæ Majestat. committ. q. 2. Tiber. Decian. tract. crim. lib. 7. cap. 8. num. 1. contra quos rectè sentit Dn. Præcept. Bocerus. tract. de crim. maiest. cap. 1. num. 30. & seqq.* Equidem si Papa in propriâ causâ testis idoneus esset, dubio omni prorsus carereret, quin

ad leg. Iul. Majest.

6 *Disputatio ad 4. postremos ff. libros.*

quin Imperator in crimen Majestatis Pontificiæ incurrere posset. Syllogismum enim hunc conficeret Papa, Achilleum sanè & inexpugnabilem: Omnis subditus, qui contra Dominum & Principem suum insurgit, est Reus criminis Majestatis. Verissimum! Atqui Imperator subditus est Pontificis. Certissimum & hoc ex Domini nostri Patris sententiâ. *c. 1. tit. de consuetud. in extravag.* Sed pudet & piget me ad impudentem hujus minoris propositionis assertionem respondere: illud tantum ajo, evidentissimè Papam eo ipso Antichristianismum prodere. Christus enim illos, qui ipsum Regem creare gestiebant, fugit: Pontifex ipse non requisitus, in omnes sibi dominium impudenter arrogat. Pleni sunt omnes libri, plenæ historiæ, plena monumenta omnia etiam ipsorum Pontificiorum, fraudum, & malarum artium, quibus se ab Imperatorum obedientiâ subtraxerunt, & dominium in hos ipsos nacti sunt Præsules hi Romani, ut has recensere brevitati nostri instituti planè contrarium sit: & fecit Simon Schardius, *tract. singulari. ac Mornæus in Myst. iniquitat.* Placebit sanè omnibus cordatis, cordata illa Philippi Francorum Regis ad Bonifacium Papam responsio: Sciat tua maxima Fatuitas, nos in temporalibus nemini subesse. *Fr. Hotom. lib. disput. Feud. cap. 9.*

20. Federatum populum, si contra Imperatorem quid molitur, criminis Majestatis reum fieri posse, indistinctè asserit Hieron. *Cygas. de crim. les. Majestat. lib. 3. rubr. de rebell. lib. quest. 21.* Tiber. Decian. *tractat. crim. lib. 7. cap. 5. nu. 19.* Sunt qui distinguunt inter fœdus æquum, & id, in quo alter alterius Majestatem observare tenetur. *l. 7. §. 1. ff. de captiv. & postlim. revers.* Ego nullum fœdus (ita propriè dictum) arguere subditum statuo *d. l. 7. §. 1. de captiv.* atque ideò nec crimen majestatis à federato committi posse assero. *clem. pastoralis. §. rursus. de sentent. & rejud. Vide Bodin. 1. de Repub. 6.*

21. Elegans & magni momenti est quæstio, an is, qui Duci, Comiti, &c. Imperio immediatè subjecto insidias struxerit, vitæve ejus periculum creârit, in crimen majestatis incidat? Affirmant Jul. Clar. *5. sentent. §. lesæ maiestat. crim. num. 3.* Laudens. *tract. de crim. les. maiestat. q. 1.* *Gygas. rub. qual. & à quib. & c. quest. 29.* Negant verò M. Anton. *Peregrin. de Iure fisci. lib. 4. cap. 5. num. 24.* *VVesemb. in parat. ff. hinc. num. 7.* *Fachin. 9. controvers. 32.* Posterior sententia, ex principiis Politicis ita à quibusdam firmatur. Crimen majestatis in eum tantum committitur,

Disputatio ad 4. postremos ff. libros. 7

titur, qui majestatem habet. Est enim hoc crimen dictum ab objecto, in quod peccat. *Bocer. d. tract. cap. 1. num. 1.* Atqui Duces, Comites, &c. Imperii, majestatem non habent. Ergo. Non obstare ajunt, quod contrariæ sententiæ defensores, Magnates Imperii similes esse ajunt magistratibus, Proconsulibus, Præsidibus provinciarum Populi Romani, item Consiliariis Imperatoris. Horum autem qui quem offendit, ipsum Populum Romanum vel Imperatorem offendere dicitur. *l. 1. ff. & l. 5. C. ad l. Jul. Majestat.* Etenim longè aliam rationem fuisse olim Præsidum, ac Proconsulum, ut & Consiliariorum Principis, atque Principum Imperii hodiernorum. Illos enim à Populo Romano & Imperatoribus in provincias missos, post breve tempus discedere coactos, omnia denique alieno, nihil proprio nomine (vicarii enim erant) peregrisse. Merito igitur, qui officiales, qui que vicarios offendebat, ipsum etiam Imperatorem læsiss; quam eandem etiam rationem, in Consiliariis Imperatoris (ut qui pars corporis ejus dicuntur. *d. l. 5. in princ. C. hoc tit.*) valuisse. At minimè eam ad nostros Imperii Duces, Comites, &c. extendi debere. Non enim esse magistratus missos in provincias ab Imperatore Romano, non etiam Imperatoris gerere vicem, & ejus negotia expedire, sed omnia suo nomine peragere. Cessante ergò omni relatione, affectione & *ἀφ᾽ ἑσῆς*, quæ est inter procuratorem, & Dominum, inter principalem & vicarium, inter corpus & ejus membra; consequens esse, per Ducum, Principum, Comitum, &c. latus, ipsum Imperatorem minimè lædi. Quâ de quæstione si quis certi aliquid definire velit, eum necesse est arcana Imperii, & Jura statuum penitiùs exploratum habere. Illud nobis magis expeditum videtur, non statim qui Consiliarium Principis offendit, crimen committere Majestatis; nisi odio in Principem fuerit factum. *Arumæ. d. disp. 25. thes. 2.*

22. Adulterium etiam unum ex gravissimis criminibus esse, varia apud varios populos pœnæ ei impositæ demonstrant. Apud Ægyptios enim (ait Laurent. Rhodom. *in lib. 2. Biblioth. Diod. Siculi. cap. 3.*) deprehensus in adulterio, mille plagis cæsus castrabatur. Parthi nulla delicta adulteriis graviùs vindicant. *Justin. lib. 41.* Moschovitæ adteros in partes dissecant. *Sigismund. Herbersten. in comment. rerum Mosch. Hebræi eos plerunque lapidibus obruebant; Ezech. 16.* interdum comburebant. *Genes. 38.* Persæ etiam in eos capitali pœnâ animadvertabant. *Fr. Patric. 4. de regno. 11.* Apud Romanos ante legem Juliam variè puniebantur. Lege enim Romuli, marito & Cognatis adulterii vindicta

Ad leg. Jul. de adult.

B

defere-



8 *Disputatio ad 4. postremos ff. libros.*

deferebatur; *Bodin. in Method. Histor. cap. 4. ex Gellio, qui interdum mutilatione membrorum adulteram puniebant. Martial. 3. Epigr. 83.*

Quis tibi persuasit nares abscindere Mecha:

Nil hâc peccatum est parte, marite, tibi.

plerunque u'tra centesimum lapidem relegabant. *Bodin. d. l. Constat tamen, insequentibus temporibus etiam magistratuum hâc in re inspectionem fuisse. Sic enim Liv. dec. 3. lib. 5. Aediles plebeij aliquot matronas apud populum probri accusârunt, aliquot ex eis damnatas in exilium egerunt. Erat & ea pœna recepta, ut adulteras è Saxo Tarpejo deturbarent. L. Senec. lib. 1. Controv. 3. Incesta, ait, de saxo deijciatur. Sed majoris est disquisitionis, quæ pœna adulterii fuerit ex l. Juliâ. Ego cum Dn. Bocero, Dn. Præside, supra disput. 1. thes. 28. Cujac. observ. lib. 6. cap. 11. Marcilio ad §. Item Lex Jul. de adult. Inst. de publ. Iud. relegationem eam fuisse, conijcio: quanquàm sæpius ea pœna fuerit vel exasperata, vel mitigata, quod ex historiâ facilè probatur.*

23. Adulterium etiam sponsa committit, idque in eâ vindicandum esse Divi Severus & Antoninus rescripserunt: quia nec spem matrimonii violare permittitur. *l. si uxor. §. Divi. ff. ad l. Jul. de adult. Nec quicquam ad rem facit l. 11. §. quærebatur. ff. eod. quia ea obtinet, sponsa non amplius sponsa existente, sed alteri à patre in matrimonium traditâ. Dn. Harppr. ad §. 4. num. 8. & seqq. Eleganter Anton. Fab. 3. Conject. 6. Barnab. Briffon. lib. sing. ad l. Jul. de adult. Clariss. Busius ad l. 13. §. Divi. ff. d. t.*

24. Vindicatur etiam adulterium in eâ, quæ se vulgò prostituit. *l. si uxor. 13. §. sed & in ea. ff. ad l. Jul. de adult. quod ita accipiendum est, si ante matrimonium initum se prostituerit. l. 22. l. 29. C. eod. P. Busius. ad l. 13. §. 2. ff. hoc tit. Eman. Soarez. in thes. recept. sentent. vers. meretricis raptor. num. 139. Arumæ. d. disp. 25. thes. 6.*

25. Osculum minimè præbet legitimam adulterii præsumptionem. Non ergò, ut propter adulterium, sic & propter osculum dote privanda mulier. *Dn. Harppr. §. 4. num. 26. & seqq. Instit. de publ. jud. Dn. Præcept. D. Bocer. tract. de quæst. cap. 3. num. 19. Menoch. lib. 5. de præsumpt. præsumpt. 41. nu. 26. Dissent. Bald. referente Alciat. τὰ πρῆξ. 10. Mascard. de probat. conclus. 64. vol. 1. Si iam presbyter Pontificius alterius uxorem de osculetur, volunt quidam, quòd præsumatur id facere causâ imprimendæ benedictionis. Sed hodiè non tantum fidei habent, idque forsitan ex malè servatâ fide. Petreus Conclus. criminali. 92.*

*Ad l. Jul. de vi
publ.*

26. Publicam quidam vim esse dicunt, quæ Armis; privatam quæ infertur

Disputatio ad 4. postremos ff. libros.

9

infertur sine armis. *Duaren. 1. disput. c. 22. aliter Cujac. ad Paul. 1. sent. 26. & Robertas 3. sent. 22. Rectius ego defini posse vim publicam statuo, quæ securitatem publicam turbat. l. 1. l. 2. l. ult. & tot. tit. ff. ad l. Iul. de vi publ. vim privatam, quæ securitatem privatam violat. l. 4. in prin. & §. 1. & l. 6. ff. ad l. Iul. de vi privat. l. 1. l. 5. C. ad l. Iul. de vi publ. vel priv. Dn. Bocer. Class. 4. disput. 13. thes. 4. & 37.*

27. In l. final. hoc tit. extat Decretum Divi Marci, quo jubetur jus crediti amittere creditor, qui non expectatâ sententiâ judiciali, creditum vi recuperavit. Hinc quærent Dd. nostri; Annon femina, rusticus, miles, & similes personæ excusentur, si ex hujus decreti ignorantia peccaverint. *Menoch. remed. 9. recup. poss. quest. 1. negat. Affirmativam defendunt principia Ethica, & illa Juris regula, quod rusticus, femina, &c. Ob ignorantiam juris in damnum non incurrant. l. 2. §. fin. de jure fisci. Dn. Harppr. ad §. ita tamen. Inst. de vi bon. rapt.*

Ad l. Iul. de vi privatâ.

28. Haud levis est controversia, an is, qui Titium interficere volens, Sempronium errore interfecerit, legis Corneliæ poenâ afficiendus sit? Ego affirmo cum Dn. Harppr. in §. 5. num. 209. *Instit. de publ. jud. Jul. Clar. 5. sentent. §. Homicidium. num. 6. ubi ait: ego, si casus incideret, facerem ipsam putare caput. P. Busius ad l. cum servo. 4. ff. de injur. Thoming. decis. 38. num. 7. & seqq. Georg. Adelbert. Burcardus in append. ad Voltzii Comment. de l. Cornel. de Sicar. nu. 10. & seqq. adde Vaud. 1. quest. 46. Thesaur. decis. 243. Fachina. 1. controv. cap. 37. Argumentum principale hoc est: Sufficient dolus & animus occidendi. l. Cornelia. l. 7. l. 14. h. t. Atque hic est in nostro casu, & homicidium est subsequutum. Ergo. Ad fuit animus occidendi, quod manus erraverit, quid hoc ad rem?*

Ad leg. Cornel. de Sicar.

29. Illustris quæstio est, an is, qui mandavit Titio, ut Mævium vulneraret, cum mandatarius fines mandati egressus Mævium occidisset, ordinariam homicidii poenam subire cogendus sit? quod negare ipsa sanè æquitas jubet. Illud enim legis Corneliæ proprium est, neminem punire, nisi propositum occidendi alterum habuerit. l. 7. hoc tit. at qui mandator in hoc nostro casu non mandavit Titio, ut Mævium occideret, adeoque animum occidendi non habuit. Ergo. At, ais, vulnera ad mensuram infligi non possunt, nec quis stateram in manibus habet, quâ ictus & vulnera ponderare possit, ne quæ lethalia infligat. Fateor equidem: at hæc non considerasse, culpa est, non dolus; ob culpam verò, ut dictum jam sæpius est, nemo legi Corneliæ subijcitur.

l. 7. ff. ad l. Cornel. de Sicar. Dn. Harppr. ad §. 5. Instit. de publ. jud. Carer. in

B 2

pract.



10 *Disputatio ad 4. postremos ff. libros.*

pract. crim. tit. de homicidio. §. circa. num. 83. Fachin. 1. controu. 36. Dissent. Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. fin. quest. 89. num. 5. Gomez. tom. 3. var. resol. cap. 3. n. 18. Voltz. comment. ad l. Cornel. de Sicar. cap. 6. num. 28. ibique Burckhard. in append. num. 84. & seqq.

30. Philtris aliorum amorem sibi conciliare, res est mali exempli. l. 38. §. qui abortionis. de pœnis. hinc leges nostræ, contra Juris regulam, quâ in lege Corneliâ animus occidendi spectatur, non etiam culpa admittitur, eum, qui amatorium poculum dedit, mortuo eo, qui hausit, morte puniunt. d. l. 38. de pœn. At tamen, si rem diligentius inspexerimus, dolum etiam & occidendi animum in hoc dolo inuenimus saltem implicitum. Is enim, qui præbet tale poculum, finem quidem sibi proponit, amoris conciliationem; non tamen ignorat, posse etiam philtrum haurienti perniciosum esse, posse illud furoris causam præbere, posse etiam hominem omninò de vitâ deturbare. Atque ita, licet non directè & principaliter, tamen aliquo modo etiam occidendi animus hoc in nostro casu adest. Dn. Harppr. in d. §. 5. nu. 64. Inst. de publ. jud. Damhouder. in praxi rer. criminal. c. 61. nu. 88.

31. Paucis etiam hîc, quid de defensione necessariâ (quam nostri homicidium coactum indignant) sentiamus, aperiendum est. Respondeo itaque cum Ouidio. 3. de arte amandi.

Iudice me fraus est concessa repellere fraudem:

Armaq; in armatos sumere jura sinunt.

Est enim (inquit elegantissimè Cic. in Miloniana) hæc nō scripta, sed nata lex, quam non accepimus, didicimus, legimus, verum ex naturâ ipsâ arripimus, hausimus, expressimus, ut, si in vim, si in tela, si in latrones inciderimus, omnis honesta sit ratio expediendæ salutis. Cui assentitur omninò Florentinus Jurisconsultus in l. 3. ff. de iust. & iure. cum ait: jure hoc evenit, ut, quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur. Nec etiam putamus, primum ictum expectandum esse. Non enim hoc requirit Constit. Carolina. Artic. 140. Nec etiam exigimus paritatem armorum. Est enim hoc defensionis naturæ contrarium. Si ergò Titius. Cajum gladio, adoriatur, Cajus gladio vel bombardâ se defendere poterit. Fugam tamen interdum aggressum arripere & posse & debere, Christiana suadet charitas: quod si verò prouideri quis possit, aggressorem nihilominus insecuturum, & spiritus audacior res sumpturum; stet potiùs, & fortiter adversarium, qui suum ipsius vult infortunium, excipiat. Ut autem legitimè hæc defensio fiat, requi-

Disputatio ad 4. postremos ff. libros. 11

requirimus moderamen inculpatae tutelae. hoc est, ut 1. non animo ulciscendi, sed periculum propellendi expediatur. 2. ut in continenti fiat, non ex intervallo: siquidem non amplius defensio, sed vindicta esset. *Arumæ. disput. ad ll. 1. thes. 2. D. Harppr. ad d. §. 5. num. 111. Inst. de public. iud. Farinac. lib. 4. prax. crim. tit. 14. q. 25.*

32. Ante Constantinum Imperatorem parricidae culeo insuebantur, vel soli, vel cum fimiâ, & viperâ. Constantinus primum duas bestias, canem, & gallum gallinaceum addidit. *l. unic. C. de his qui parent. vel liber. occid. Dn. Harpprecht. ad §. 6. num. 17. Instit. de publ. iud. adde Hieron. Magium 4. miscell. 8.* Hinc manifestissimum evadit, legem penult. hoc tit. à Triboniano interpolatam esse. Quod tamen ipsum optimo jure facere potuisse, nec ideò reprehensionem incurrere, Hunnius probat. *de author. & interpr. lib. 2. cap. 2. quest. 4. Dn. Pras. ad titulos aliquot libr. 1. ff. in pracogn. §. 11.*

*De l. Pompeja
de Parricid.*

33. Qui falsam monetam fabricant, flammaram exustionibus mancipantur. *l. 2. C. de fals. monet.* Huic legi refragari videtur. *l. 1. C. eod.* ubi monetæ adulteratores capitali poenâ tantum, non exustione puniuntur. Dn. Harppr. *in §. 7. num. 46. Instit. de publ. iud.* respondet: capitalem poenam etiam comprehendere ignis supplicium; quod verum esse patet ex *l. 2. ff. de publ. iud.*

*De l. Cornel.
de Falsis.*

34. Quomodo verò puniendi sint illi, qui principis Imperatore inferioris monetam corruperint, nō omnino facile est respondere. *Clar. in §. falsum. nu. 37. Decian. tract. crim. lib. 7. cap. 23. nu. 19.* Capitalem poenam aliam, quàm ignis infligendam esse, censet. At ordinariam eorum, qui Imperatoris monetam adulterârunt, poenam & hos sustinere debere, jure nostro verius est. *Dn. Bocet. tract. de jure monet. cap. 5. n. 3. per Art. 111. ord. Carol.* Etsi enim numorum percutiendorum potestas, jus sit solius Majestatis, & propterea is, qui inferioris principis monetam corrumpit, crimen Majestatis incurrere non videatur. Sciendum tamen est, numorum, quos illi principes cuderunt, vim ac potestatem ab ipsâ Majestate pendere. *Bodin. 1. de Rep. 10. p. 263. & tales numos reputari pro monetâ ipsius majestatis.* Dn. Pras. *class. polit. 1. disp. 3. thes. 55.* Hinc Cæsaris plerumque in orbe circumscriptum nomen, Aquilamque bicipitem ex lege referunt numismata inferorum Principum, liberarumque Imperii civitatum.

35. Lex Julia peculatus, non solum de pecuniâ Urbis Romæ, sed etiam aliarum civitatum accipienda est. *l. 4. §. fin. ff. hoc tit.* Non ob-

Ad l. Jul. Peculatus.

12 *Disputatio ad 4. postremos ff. libros.*

Stat. l. ob pecuniam. 81. de furtis. Bronch. Cent. 4. ἐναγίοφ. assert. 86. Lyclama. 3. membr. ecl. 5. & seq.

Ad Senatus-consultum Turpillianum.

36. Mulier, si in iudicio suam suorumve injuriam persequens destiterit, non incidit in Senatusconsultum Turpillianum: l. 1. §. 10. l. 4. in princ. hoc tit. quoniam is demum in Turpillianum incidit, qui calumniae nomine conveniri potest. l. in Senatusconsultum. §. eos. hoc tit. atqui mulier sine metu calumniae accusat. l. 2. C. de calum. Pac. Cent. 7. ἐναγίοφ. q. 69.

De Quaestionibus.

37. Primum in hac quaestionum materia controvertitur: An torquendi potestas meri, an mixti sit imperii, an verò simplicis jurisdictionis. Franciscus Brun. in tract. de indic. & tortur. part. 2. quest. 7. nu. 3. Jacob. de Belvis. in pract. crim. lib. 3. cap. 14. num. 5. torturam mero adscribunt imperio. Verum Bartolus & alii (quos refert D. Bocero. tract. de quest. & tortur. c. 1. n. 13.) in l. 3. ff. de jurisd. distinguunt inter causam civilem & criminalem: in hac quaestionem mero imperio, in illa simplici tribuunt jurisdictioni. Prius distinctionis hujus membrum, cum D. Bocero admitto, posterius rejicio. Testimonio enim vilissimae personae, qualis est arenarius, mimus, servus, sine tormentis non creditur, etiam in causa civili, ideò, quòd contumaciter reticere eiusmodi persona intelligitur veritatem. l. ob carmen. 21. §. si ea. 2. ff. de testib. & Nov. 90. c. 1. §. si verò ignoti. Isthac pertinacia ut coerceatur, tormenta adhibentur. Modica autem coercitio est mixti imperii. l. 1. in fin. & l. ultim. ff. de off. eius, cui mand. est jurisdic. Unde hoc casu, quaestio non simplicis jurisdictionis, sed mixti est imperii.

38. Si iudex nullis praecedentibus indiciis, reum ad torturam abripiat, isq; vi tormentorum fateatur crimen, ac post torturam superveniant demum indicia idonea: quaeritur, an reus possit condemnari? Nego cum Dn. Praecept. Bocero, de tortur. cap. 3. num. 10. Etenim necessarium quaestionis antecedens sunt indicia verisimilia, probabilia. l. 8 §. 1. C. de questionib. quod ubi non adest, nullum quoque erit consequens. Firmissima collectio! Manifestè quoque à nostris stat partibus Ordinatio Carolina, quae Art. 20. ita jubet: Wo nicht zuvor redlich anzeigen der Missethat darnach man fragen wolt / vorhanden / vnd beweist wurde / sol niemands gefragt werden: vnd ob auch gleichwol auß der Marter die Missethat bekant wurde / so sol doch das nicht geglaube / noch jemand darauff verurtheilt werden.

39. Unum testem, licet omni exceptione majorem, de qua veritate delicti constanter deponentem indicium ad torturam, Jure Justiniano

nianeo minimè facere assero. l. 20. ff. de questionibus. l. 9. C. de testib. Aliud tamen induxit Constitutio Carolina Artic. 30. eo in casu, ubi testis omni exceptione major, non de indiciis criminis (nam manet hinc jus vetus incorrectum. d. art. 30. in fin.) sed de ipsomet crimine deponat. Sic alias sæpè, quoque ex pravo juris Justiniani intellectu Doctorum opiniones transferunt in decreta, vel mores, & instituta Regionum: ut non abs re conqueritur Cujac. 22. observ. 16.

40. Animi trepidationem, vultus mutationem, & titubationem pro suspitionibus criminis ad questionem sufficientibus non agnosco. Carer. pract. crim. §. sextum indic. Iul. Clar. §. fin. quest. 21. num. 39. Dn. Bocer. de questionib. cap. 3. num. 37. Siquidem tremor ille, cui tortura impendit, non tam malæ conscientiæ argumentum est, quàm effectus quidam præsentis metus tormentorum. Contrà contingit sæpè, ut & manifestè sceleratus homo, nihil conspectu judicis moveatur, sed flagitia sua, quibus plurimis est pollutus, vel extenuare, vel excusare multis omninò conetur verbis.

41. Neque etiam mala Physiognomia; Fr. Cason. tractat. de indic. r. cap. 6. num. 1. neque ariolorum dicta; Cason. tract. de indic. 10. cap. 11. neque pedis cum vestigio convenientia; Dn. Boc. de quest. cap. 3. nu. 77. neque natio vel patria improba, vel mala progenies; Dn. Bocer. cap. 3. numer. 81. 82. sufficiunt ad hominem quæstionandum; ut loquuntur Dd.

42. Regulariter rei criminum, de sociis interrogari non possunt: l. repeti. 16. §. 1. hoc tit. l. ult. C. de accusat. exceptis quibusdam casibus, quos refert Dn. Bocer. d. tract. cap. 3. nu. 41. Hinc in quæstionem venit, an confessio rei de complicibus criminis sufficiat, ut ex ea socii illi tormentis subijci possint, necne? Nego. Nulli enim de se confesso adversus alium ejusdem criminis participem, credendum est. c. veniens. ext. de testib. Nec etiam unius hominis, licet omni exceptione majoris, testimonium ad quæstionem habendam sufficere, supra thes. 37. diximus. Et tæris, pietatis, & humanitatis oblitos, innocentissimos quosque criminis socios (quòd maximè sagæ facere solent) sibi fingere. Dn. Bocer. d. cap. 3. num. 45. Res fragilis est, Judex, & periculosa tortura. Cave ergò, ne ad eam exercendam, levibus, nulliusque momenti movearis indiciis.

43. Maximi momenti quæstio est, an verisimile homicidii argumentum sit, si præsentem eo, qui de homicidio suspectus est cadaver hominis interfecti sanguinem profundat. Nam & sæpissimè sanguinem emisisse

14 *Disputatio ad 4. postremos ff. libros.*

emisse in præsentia homicidæ, occisum, exēpla plurima testantur, quæ
 ex aliis refert Dn. Bocer. d. cap. 3. num. 21. & rationem hujus rei ἀντιπά-
 θεϊαν quandam esse ajunt Levin. Lemnius, de occult. natur. mirar. libr. 2.
 cap. 7. Fracastorius lib. sing. de Sympathia. Andr. Libav. lib. sing. de cruent.
 cadav. Verum cum jura nostra in hoc periculosissimo quæstionis actu
 verisimilia requirant indicia, hæc verò rem arguant naturaliter, vel ut
 causa effectum suum, vel ut effectus causam, vel ut adjunctum pro-
 prium suum subjectum, &c. Constat sanè indicium hoc ad torturam
 non sufficere. Quod enim experientiam adducunt adversæ sententiæ
 propugnatores, opponimus nos illis eandem experientiam. Sapissimè
 enim & præsentibus amicis, sanguis ex cadavere fluxit, præsentis homi-
 cidæ ne gutta quidem visa fuit. Dn. Boc. dict. loc. Quod de antipathia pro-
 ferunt, illud negare possem argumentò dictò, ductò à contrariâ experi-
 entia: addo quoque, ἀντιπάθεϊας nullam posse reddi (Physici docent)
 causam, at verò indicia nostra, quæ requirimus arguant factum necesse
 est, naturali aliquo modo. Denique hujus profluvii aliæ possunt reddi
 causæ naturales, quid ergò ad ἀντιπάθεϊαν nescio quam confugimus?
 Consent. Hyppol. de Marsil. in pract. crim. §. diligenter. num. 181. Anton. Gomez.
 var. resolut. tom. 3. cap. 13. num. 15. Menoch. de præsumpt. lib. 1. præsumpt. 89. nu.
 128. & Dn. Bocer. dict. loc. Vmmius. disput. 15. num. 46. vide tamen Britannicæ
 Regem tract. d. demonolog. f. m. 489. & Dn. Præsid. disputat. pol. 8. coroll. ultim.
 class. 2.

44. Multis in locis certissimum veneficii indicium putatur, si
 mulier suspecta, certo modo ligata & constricta in flumen aut stagnum
 demittatur, ut faciem ventremque habeat cælum versus spectentem,
 & dorso aquæ superficiem incumbat, neque tamen mergatur, sed anse-
 ris more supernatet; quod si in fundum feratur, insons judicatur & di-
 mitti solet. Hocque indicium verisimiliter arguere sagas VVilhelm.
 Adolph. Scribonius Marpurgensis Medicinæ D. consultus à Magistra-
 tu Lemgovienfi, Anno 1583. in epistolâ ad eundem magistratum scri-
 ptâ aliquot argumentis defendit, & ad stipulatur Jacob. Rickius ab At-
 wetter. tract. qui inscribitur, defensio probæ aquæ frig. Atego cum Præcepto-
 re meo Dn. D. Bocero furiosum hoc, fallax, & cui nihil omninò defe-
 rendum sit, indicium judico. Aut enim causa supernatationis est Phy-
 sica, aut Metaphysica. Si Physica est, putà vel latitudo dorfi, vel fre-
 quentior, uberiorque respiratio, quâ allevatur in aquâ corpus hominis;
 sequitur, quòd hoc non sit Magiæ indicium, cum ex his causis quivis
 homo

Disputatio ad 4. postremos ff. libros. 15

homo natum possit, nec magiæ ulla sit causa naturalis, sed potius ipse Diabolus. Si Metaphysica est causa, in Deo eam quæramus necesse est, aut in Diabolo. In Deo si poneremus, eundem tentaremus. Prohibet enim Scriptura sacra, à Deo signa postulare. *Deuter. 6. Matth. 4. & 16.* In Diabolo si ponimus hujus rei causam, indicium verisimile dici nequit; cum, Deo permittente, etiam pium hominem Diabolus in aquâ vehere possit, ut illi periculum creet. Quin & porcos illos, de quibus in historia Evangelicâ, in quos, permittente Christo, Diabolus irruerat, in mare præcipitati & submersi sunt. Vanum igitur hoc, & fallax iudiciû à prudentis iudicis tribunali longissimè relego. Cû *Dn. Bocer. d. l. Damhoud. prax. rerum crim. cap. 43. num. 2. Ioan VViero, lib. 6. de præstig. demon. Bodin. lib. 4. de magor. demon. cap. 3. in fin. Herman. Neuvvald. in libello, Bericht von Erforschung/Prob/ vnd Erkandnus der Zauberinnen durchs falsche Wasser.*

45. Quod si apud mulierem, in arcâ ipsius, reposita inveniatur vel olla cum adipe, vel globus cereus cum serpentis exuviis insertis, vel similes res, easque repertas iri aliæ sagæ in quæstione factæ fuerint: non statim mulier illa tormentis interrogari debet. Posse enim harum rerum etiam alium usum esse, Physici, & Medici sciunt. Consulendi itaque hi sunt, antequàm quæstioni subijciatur suspecta illa mulier. *Dn. Bocer. d. cap. 3. num. 99.*

46. Num reus ex solâ confessione ultrò facta, condemnari possit, dubitatur? Et cum leges & constitutiones eum in vincula publicæ antè coniciendum esse velint, ut defensiones suas, si quas habeat, ad evitandam condemnationem proponat, id nego. *l. 1. §. Divus Severus. & §. si quis ultrò. de quæstionibus. Mascard. de probat. volum. 1. concl. 354. num. 3. Dissent. Gandin. in rubr. de quæst. & torm. nu. 15.* *De Pœnis.*

47. Principem ex jure Majestatis, quod habet, damnatos contra vim legum, ac iudiciorum, supplicio eripere posse, communis Politicorum conclusio est: *Dn. Preses. class. polit. 1. disput. 3. thes. 14.* quod tamen ita limitant, si scelus illud non etiam divinâ lege capitale fuerit. *Bodin. 1. de repub. cap. ult. Dn. Pres. d. l.* Si igitur quid in leges civiles peccatum sit, ut, si arma gestare, vel comæatum hostibus dare, capitale sit; dignus sanè commiseratione est, qui adversarii metu armatus incedit, aut qui hostibus frumenta, cum ære alieno premeretur, vendidit. Et si pœna furti lege civili capitalis sit, licet bono principi eâ remittere, & aliam pecuniariam imponere. *Bodin. d. l. Principi (inquâ) hoc licet. Alia enim est ma-*
C *gistratum*

16 *Disputatio ad 4. postremos ff. libros.*

gistratum conditio. Hi enim iudicata mutare nequeunt. *l. iudex postea-
quam. de re judic.* Facti quidem quæstio in arbitrio est iudicantis, pœnæ
autem persecutio legis authoritati reservatur. *l. i. C. ad senatusconsultum
Turpill. adde l. 8. §. 2. C. ad l. iul. de vi publ.* Quòd si verò crimina etiam in ip-
sum Deum spectent; ut sunt blasphemix, vel, ubi Deus sceleratos ab
ipsis altaribus abstrahi ac mactari jubet, ibi nec principi nec ulli homi-
ni veniam largiri licere statuo: his enim suppliciis Deus se propitium
mortalibus fore pollicetur. *Bodin. d. l.*

*De interd. &
releg.*

48. Deportatus mediam capitis diminutionem patitur; §. *minor.*
Instit. de cap. deminut. & libertatem retinet. l. deportatus. 15. hoc tit. quod ne-
gare videtur Callistratus Juriscòsultus in *l. pen. §. ult. ff. de var. & extraord.
cognit.* Ego distinguo inter libertatem naturalem, & civilem, cum *Dn.
Præcept. D. Bocero. class. 1. disp. 6. thes. 19.*

*A quibus ap-
pell. n. lic.*

49. Appellatio non ultimum sibi inter Majestatis jura vindicat
locum. *Bodin. 1. de Rep. 10. Dn. Præses. Colleg. Polit. Class. 1. Disput. 3.* Itaque stul-
tum est (ait Ulpian. *l. 1. §. 1. hoc tit.*) illud admonere, à Principe appellare
fas non esse. Hoc autem non tantum in Principe Romano verum esse
putamus, sed & in omni alio Rege, Principe, Repub. denique supe-
rioris non agnoscente imperium: *Marant. de appellat. num. 248. & seq. Dn.
Præses. de appellat. cap. 2. §. 2.* cum hi æquè habeant Majestatem ac Ro-
manus Imperator. *vid. Bod. 1. de Rep. 10.*

50. Princeps superiorem non recognoscens, Appellationem
tollere potest. *Ampliss. Rutg. Ruland. p. 3. lib. 8. cap. 13 nu. 23. tract. de Commiss.
Ac interdum Imperator ita solet iudicem dare, ne liceat ab eo provo-
care; itaque sæpissimè à D. Marco iudices datos esse testatur Ulpian.
l. 1. §. fin. hoc tit.* Et sanè litium minuendarum causâ, salubriter hoc fieri
posse concludo; cum *Dn. Præs. d. cap. 2. num. 18.* Consentit *Ordinat. Cam.
Imper. par. 2. tit. 28. §. vñd diereitl.* Credidit enim Princeps eos, qui ob
singularem industriam, exploratâ eorum fide & gravitate cum tantâ
potestate iudices constituuntur, non aliter iudicaturos esse, pro sa-
pientia ac luce dignitatis suæ, quàm ipse foret iudicatuus. *l. un. ff. de of-
fic. Præs. Præt.*

51. Statuto tamen Appellatio tolli nequit, nisi consentiat Prin-
ceps. *l. 1. §. 4. à quib. appellat. nequit. Iohan. Melch. Cletzelius ab Altenach. in ele-
gant. suo tract. d. Appellat. cap. 1. Dn. Præs. comment. ad l. 6. d. Inst. & iure §. 8.*
Ea namque quæ Principi sunt reservata, non sunt de potestate Populi
statuentis, & idè ab eo attingi haut debent. Utile tamen & necessari-
um est, appellandi temeritatem restringi. *Cletzel. d. loc.*

52. In

Disputatio ad 4. postremos ff. libros. 17

52. In arbitris quid juris, explicare non omnino facile est, & quidem ab arbitris juris provocationem admitti, ut à reliquis iudicibus, dabo omni caret. l. 9. ff. qui satisf. cog. Dn. Praes. d. tract. cap. 3. num. 2. A sententiâ verò arbitri compromissarii appellari nequit. l. 1. C. de recept. arbitr. l. non distinguemus. 32. §. cum quidem. ff. eod. can. si quis Episcopus. vers. arbitrarii. 2. quest. 6. v. Aruma. disp. ad l. ult. thes. 8. Cletzelium, cap. 4. nu. 45. & c. Quod si tamen laudum (ut loquuntur) enormissimam contineat læsionem, de jure, doli exceptio; d. l. non distinguemus. §. 14. de recept. arbitr. l. 3. C. eod. ut & secundum Dd. & praxin, appellatio admittitur. Zas. Conf. 12. num. 38. Gail. 1. observ. 150. nu. 9. Arbitrium arbitratoris eiusmodi est, ut ad arbitrium boni viri reduci debeat, si manifestam habeat iniquitatem. l. societatem. 76. in princ. junct. duabus lib. seqq. ff. pro socio. l. siquidem si libertus. de oper. libert. Et illum, ad cuius arbitrium reducitur laudum, seu sententia arbitratoris, esse dicimus (variè licet dissentiant Dd.) iudicem, quia alias competens fuisset, & ordinarius causæ iudex. Dn. Praes. cap. 3. §. 4. Marant. de appell. nu. 26. Gail. 1. observ. 149. Myns. 2. observ. 61. Fachin. 8. Controv. 94. Et petitio hæc reductionis 30. annos durat. Dn. Praes. d. l. Gail. 1. observ. 150. num. 1. & c. Dissent. Fachin. 8. Controv. 95. Ac quoque provocari concessum puto à sententiâ in puncto Reductionis latâ. Gail. 1. observ. 149. nu. 4. Fachin. 6. controv. 96.

53. Ab Imperatore ad Pontificem Romanum non appellatur, quod ita probo: A minore major provocatur. Pontifex non est major Imperatore. Ergo. Vide quæ nos supr. diximus. Christus roganti cuidam de turbâ, Domine, dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem, respondit; Homo, quis me divisorem constituit? In Camerâ Imperiali pœna centum marcarum puri auri statuitur in eum qui ad Papam appellat. Cammergerichts Ordnung. part. 3. tit. 51. At à Papa ad Concilium provocari posse, iudicavit Synodus Basiliensis, & antè, Cõstantiensis, ac hoc scripserunt eruditiores aliqui ex Pontificiis ipsis, quos refert Dn. Andr. Osiand. Academia nostræ Cancellarius digniss. in Papâ non Papâ. loc. 12.

Quis à quo
appell.

54. A sententiâ in possessorio latâ, non provocatur; ne quidem ad effectum devolutivum. Dn. Praes. tract. d. Appellat. cap. 7. §. 9.

55. In criminalibus quibusdam causis Appellatio ad Cameram fieri potest: Da nämlich (ut nos loquimur) die Sach kein Leibstraff auff ihr tragen thut. Cletzel. d. tr. cap. 3. nu. 11. Et de notatione vocabuli (Leibstraff) videri potest Petr. Denais. in assert. Jurisd. Camerat. Imper. f. 107. & c.

18 *Disputatio ad 4. postremos ff. libros.*

Quando ap-
pelland. fit.

56. Triplicia sunt fatalia appellationis: interponendæ, introdu-
cendæ, prosequendæ. Tempus interponendæ appellationis hodiè de-
cendum est. *Nov. 23. cap. 1. Introducendæ interdum duo menses, non-*
nunquam tres, aut sex. l. 1. l. 2. C. de temp. appell. & ibi Cuiac. in paratit. In Ca-
merâ Imperiali regulariter est mensium sex. Cammergerichts Ord.
part. 2. tit. 30. §. wurde aber. Sæpè tamen ipse iudex, à quo appellatum est,
appellanti tempus introducendi provocationem præstitueret solet.
Fatale prosequendæ appellationis annus est, ex causâ etiam biennium.
auth. ei qui. C. de temp. appell. l. fin. C. de appell. Vide de his omnibus prolixè
differentem Dn. Præsidem, in sape d. tract. cap. 8. & 9. per tot.

An per alium,
&c.

57. Procurator ad unam causam constitutus, victus, à definitivâ
appellare quidem cogitur: *l. invitus. C. de procur. c. non injustè. 14. ext. de*
procur. prosequi autem appellationem non tenetur. l. si actor. C. hinc. d. c.
non injustè. ext. de procurat. Dn. Præses. cap. 5. §. 8. Soarez. thes. recept. opin. lit.
P. num. 301. Appellationis enim causa, diversa est à principali, nec quis
nolens ad negotium aliquod curandum adigi debet. Dissent. Busius. ad
l. ad legatum. 62. ff. de procurat. At ab interlocutoriâ provocationem pro-
sequi procurator necesse habet: cum mandatum ad omnia emergentia
accepisse intelligatur. Gail. 1. obs. 139. nu. 11.

De jure fisci.

58. Si in locis fiscalibus, vel publicis, religiosive, aut in monu-
mentis thesauri reperti fuerint, dimidia ex his pars fisco vindicatur.
l. 3. §. fin. hoc tit. At de locis religiosis dubium movet §. thesauros. Inst. de
rerum divis. ubi totus inventori adjudicatur thesaurus. Sed quia illud
sub tit. de acquirendo rerum dominio jure gentium, refertur: nos quo-
que verum illud esse concedimus respectu juris naturalis: quòd loca
religiosa nullius in bonis sint. Noster autem hic textus (quia mem-
brum est capitis, de jure fisci) de politicâ & civili exaudiendus est æqui-
tate. Æquum enim est, ut ærarium augeatur, de eo, quod neminem pau-
periorum reddit. Consent. tit. quæ sint regalia. lib. 2. Feud. Atque ita post
Accurs. hunc nodum solvit doctiss. Busius hinc. aliter Dn. D. Harppr.
ad d. §. thesauros. Inst. de rerum divis.

59. Capitis reus, si aliquid non acquirat quod acquirere potest,
in fraudem Fisci fecisse videtur: & ita id similiter confiscatur. *Pacius, 7.*
antinom. quæst. 75.

De Captiv. &
postl. revers.

60. Ex lege 7. §. fin. hinc. quidam affirmant, populum Romanum
in federatos animadversionem habere, quod ego cõtra omnia princi-
pia civilis disciplinæ puto. Non enim fedus subjectionem arguit. *hac l. §. 1.*
Et non

Et non est hujus legis sententia, quòd populus Rom. Jurisdictionis suæ manus in territorium alienum extendere queat; sed quòd delictum ab uno ex federato populo Romæ perpetratum, reum quem faciat, & jurisdictioni Romanæ subiiciat, & quòd, damnatus à federato populo, si Romam fugiat, ibi puniri possit. *Budæus hic. Alciat. 1. πρὸς εgypt. 14.*

61. Omnium ferè gentium moribus, capti in bello, servi effiebantur. *t. hoc tit. passim.* quæ servitus apud Christianos ante 356. circiter annos tota ferè evanuit. Nam Bart. *in l. hostes. hoc tit.* suo tempore jam nullos omninò extitisse servos testatur. Sed an Servitutem in politias induci rursus, & revocari, conducat, quæstio est disputationis patientissima. Ego nego cum Bodin. *1. de Rep. 5.* ubi prolixus & elegantissimus discursus. Non igitur plura addo.

62. Totus hic titulus in militarium delictorum pœnis recensendis absolvitur, ex quarum severitate severam veteris militiæ disciplinam cognoscere licet. Miles, qui arma amiserat, vel alienaverat, capite plectebatur, aut si clemèter cum eo ageretur, militiam mutare cogebatur. *l. 3. §. 13. hoc tit.* qui mandata ducis non servàrat, etsi res benè cessisset, mortis pœnam subibat. *d. l. 3. §. 15.* cui pœnæ ne filium quidem subtraxit T. Manlius: I, licitor, dixit, deliga ad palum. Tu fili, quia disciplinam militarem, quâ in hanc usque diem stetit res Romana, solvisti, peccatum lues, &c. *Liv. lib. 8.* Mulieres olim à castris longissimè removebantur. *Lips. de milit. Rom. fol. 344. Thom Dempster. antiq. Roman. lib. 10. c. 12.* Decuit sanè jam dudum militiam nostram ad exempla veterum formasse! At libido pro lege est, pro ordine, pro disciplina; plura ferè in castris (quæ à castitate denominari ait Isidor. *Hispalens lib. 9. Etymolog. cap. 3.*) sunt scorta, quàm milites. Rapiunt, cædunt, cives, rusticos spoliant, Stupra & adulteria in egregiis facinoribus habent, & quò plures quis Christi cruces, Sacramenta, vulnera, quò plures Diabolorum myriades impio ore evomere potest, eò fortior miles putatur: ut meritissimè conqueritur Cl. V. Dn. D. Thomas Lans. Promotor meus parentis instar colendus. *in Orat. de Laudib. histor.* Nisi huic malo obviam eatur, nunquam (& quis non videat?) felicia, prospera erunt bella nostra.

De re militari.

Moribus antiquis res stat Romana, virisq.
Vid. Dn. Pres. class. polit. 2. disput. 7. thes. 30. & seqq.

63. Ea quæ magis Imperii sunt, quàm jurisdictionis, magistratus *Lib. 50. ad municipalem.*
municipalis facere non potest. *1. ea quæ. hoc tit.* Quòd cum Bodino, *1. de Rep. 6.* & Scip. Gentil. *2. de Jurisdic. 2.* non ita exaudiendum est, quasi nullum



nullum prorsus habuerint imperium magistratus municipales, nec veri magistratus fuerint. Immo habent imperium pro modo jurisdictionis suæ, quo effectui dare possint, quæ decreverunt. Etenim ex l. 29. §. penult. ad l. Aquil. apparet, eos etiam contra resistentes violentius quid facere potuisse, ac potestas eis tribuitur includendi reos carceri: l. 52. §. 12. de furt. quod etsi de servis forsan tantum & vilioribus municipibus intelligendum sit; l. 12. de jurisdic. apparet tamen ex citatis legibus, non omni eos caruisse imperio, quod & evidentissimè probat Novell. 15. cap. 6. §. 1. Siquidem majoris & minoris ratio non variet speciem. *Busius ad l. 1. num. 13. de Jurisdic. Hillig. ad Donell. lib. 17. comment. cap. 7. lit. R.*

De Decurionibus.

64. Si cum filius Decurio crearetur, pater consenserit, certum est, ob munus publicum postea gestum à filio, patrem teneri in solidum. l. 2. in princ. tit. preced. Hinc quaeritur, si filio in curiam alleccto, pater appellaverit & contra eum judicatum fuerit, an ex munere à filio gesto ex d. l. 2. obligetur? quod negat l. 6. §. penult. hoc tit. Ob stare videtur l. 2. C. de filiisfam. & quemadmodum pro his pat. & c. lib. 10. Sed ibi, cum antè patrem à nominatione filii ad decurionatum non provocasset, appellavit ab impositione oneris. Merito itaque obligatur pro filio, quia antè consensit in honorem decurionatus. *Pac. Cent. 7. ἐκωνοφ. q. 77. Aliter rem considerat Busius hïc.*

De Muneribus & Tit. seq.

65. Qui excusatione à munere utuntur, si creati fuerint, statim appellare necesse habent. l. si ad scribatum. 4. l. si qui. 7. l. cives. 11. C. de appellat. & simil. aliud autem sensisse videtur Ulpian. in l. 1. §. 1. ff. quando appellat. & c. ubi, si quis tutor datus sit, non debere eum à nominatione provocare, ait, sed excusationem allegare, & si non audiatur, tunc demùm appellare. Sed distinctione expeditam rem facimus. In muneribus enim & utilitate & auctoritate publicis ab ipsa nominatione provocandum est. dd. ll. in iis autem, quæ utilitate privata sunt, à rejectione demùm excusatione. *Dn. Praeses. de appell. cap. 7. §. 12. & qui hunc refert Hillig. in Donell. lib. 28. cap. 5. lit. a.*

De Nundinis.

66. Nundinarum jus ad solius principis beneficium pertinet. *Bodin. 1. de Rep. cap. ult.* quod tamen de nundinis solemnibus (ut Francofordensibus, Lipsensibus, Argentoratensibus, Lyncensibus) intelligendum esse rectè monet *Sichard. ad rubr. C. de nundin. num. 2. P. Gregor. lib. 25. syntagm. cap. 3. per tot.* Unicam hïc lubet considerare quaestionem, an in publicis eiusmodi nundinis liceat etiam nobilibus negociari? quod nego. l. nobiliores. 3. C. de commerc. & mercat. vide tamen *Bodin. 3. de Rep. §. p. 559. & seqq. Kecker. lib. 1. polit. cap. 14.*

67. Pol.

Disputatio ad 4. postremos ff. libros. 21

67. Pollicitatio est solius offerentis promissum. l. 3. hoc tit. estque *De Pollicitat.* duplex, jurisgentium & civilis. Jurisgentium est, quæ legis confirmatione destituta, nullam civilem obligationem parit. §. ex nudâ pollicitatione. tit. 12. de jure fisci. lib. 5. sentent. Pauli. Legitima five civilis pollicitatio illa dicitur, quæ lege aliquâ confirmata efficacem obligationem parit, & consequenter etiam actionem. argum. l. 6. ff. de pact. Estque vel votum, vel in specie pollicitatio. Votum est pollicitatio, quæ fit Deo. l. 2. §. 1. hoc tit. In specie pollicitatio est, quæ alii fit, quàm Deo, ut Nocomio, Xenodochio, Ptochio l. 15. C. de SS. Eccles. Reipub. item. h. l. 7. l. 8. & hoc tit. Actio quæ ex pollicitatione competit, est condictio ex lege. l. unic. ff. de condict. ex lege. Dn. Bocer. class. 2. disp. 1. th. 40. & seqq.

68. At absens ex pollicitatione non obligatur. Bronchorst. 2. miscell. assert. 79. Hilliger. ad Donell. com. 12. cap. 5. lit. b.



IN SYMBOLVM SOLEMNE
Ornatiss. Domini Respond.

quod est:

Virtute per orbem!

NEquaquam facinus calidum est, Forstnere; vel audax;
Vel non humano suppositum ingenio;

Omnigenâ immensum virtute volare per orbem!

Quâ patet ille solò, quâ natat ille salò:

Nam via nulla usquam, venias quocumq; locorum,

In via: quâ virtus, vult penetrare potest:

Evehit hunc cæli super ipsa volumina; darsit

illum quâ Phœbus dividit orbis iter:

Quâ sunt Pyramidum constructa palatia; quâq;

Tenvi congesta est cespitè parva casa.

Icaride

Icaride potius miremur cœpta volantis,
Quæis nova spumiferis nomina fecit aquis!
Dùm sibi ridiculò finxit molimine pennas,
In solitâq; humeris addidit arte suis,
Stringere pernicipossit quæis aëra meatu,
Et legere astrati summa negata poli.
Aude propositum! studio Sacra volve Themistos:
Aio, auspica á luce volabis iter.
Et post unanimi Jurisconsulta Propago
Ore exclamabit talia verba suò:
 Bartolus & Baldus, Jason, Themis, Eunoma, Pætho,
 Tres super orbe viri, tres super astra Deæ,
 Hunc gestant: aut has gestat Christophorus unus
 Tres super orbe viros; tres super astra Deas.

Ἄντιστοιχον Nominis: Eiusdem.

Vulgò censéris patrio de stemmate Förstner;
Passibus assiduis qui fera lustra terit:
Sed mihi, cùm Themidos scruteris mystica Divæ;
Dicendus potius nomine Forschner eris.


facieb. gratulationis Ergò,

de feliciss. studiorum successu.

M. Johan. Andreas Zieglerus, Merchin-
 gâ-Francus, SS. Theol. Studiosus.

F I N I S.






X2615896

VDA7





D. F.

41.

tres hafce Quæstiones,

Ex IV. postremis

1616, 2.

Pandect. libris desumptas:

28

PRÆSIDE

CHRISTOPHORO

BESOLDO IC.



in Academia Tubingensi

PRETORI, SUCCESSORE,

præceptore suo plurimum colendo;

Non. Maij ventilandas exhibebit

Christophorus Forstner

Austrius.



TUBINGÆ,

apud Johannis Alexandri Cellii.

ANNO M. DC. XVI.

